

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM

Die Iovis 15. Novembris.

M. CLAVDIO GVERIN, DOCTORE MEDICO PRÆSIDE.

An vitæ longioris ex junioribus parentibus orti?

I.

SEXVS non extra marem & fœminam. Mas in alio, fœmina in ſe generat. Vtrumque genitalium ſtructura, ſitus, temperieſque diſcriminat. Mari Natura conceſſit, quò fœminam iniret, penem prominulum, inſigni ductu pervium, cui duo teſtes appenſi ſubſunt. Fœminæ uterum elargita eſt, membranoſum, rugoſum, cavum, peni excipiendo, atque ex appoſita materia progenerandæ ſoboli accommodatum. Ea materia, ſemen tam virile quàm fœmineum, & menſtruus ſanguis. Idcirco mari fervidam impertita eſt temperiem, quâ luculentum ſemen prodiret, fœminæ frigidulam, quâ ſanguis ſuperflueret cum ſemine. Tum utrique inſevit ſtimulos amoris, quibus exciti venereo complexu jungerentur, liberoſque ſuſciperent, ad ſpeciei propagationem. Adeò fœmina quæ his æquè confert ac vir, ni flore formæ digna audit quæ monſtretur, monſtrum non eſt. Fœlices, qui vitam aliis dando, ſibi dant. Qui ſpe vitæ cœlebs vivit, miſerè fallitur: Quis furor, ne moriare mori? Vt ſemen partes ſpermaticas delineat, ſic coagmentat ſanguis carnoſas, qui illis confor-

matis affluit. Vtroque gnati fiunt, ut paternorum bonorum, sic malorum hæredes. Vtrumque quò parentes habent calidius, humidius, purius, eò dant prolem longiore lucis usurâ fruituram.

I I.

VIVENTIBVS omnibus humidum pingue inest, in quo cum calore & spiritu, vita radices agit. Id in solidis partibus inhærescit, quæ ex semine ortæ processere. Humidum illud à calore continuò diripitur; impendio minùs reficitur; hinc in dies arescit, eoque consumpto calor extinguitur, cujus extinctio mors, dolore vacua si naturalis. Frustrà quis Peliam recoquere tentat. Omnes una manet nox, & calcanda semel lethi via. Attamen ut homo inter animantia cætera, sic inter homines, qui calidior, humidior, tardiùs experitur fatum ineluctabile. Temperatus ad omnes excessus flexibilis, plurium morborum injuriis patet, & ad interitum ruit ocyùs. Sicco, cui perspicacius ingenium, citissimè perit flos juvenilis, abitque vita. Quantum ardente Sirio squalent corpora, ob siccitatem: Quàm vere concinnè florent, ob utilis humoris affluentiam; non item hyeme pluviosâ. Vt humido aëreo gaudet calor, sic aqueo marcessit. Ipse vitæ opifex, dum humidum vastat, quo tenetur, prima fit interitus causa; altera est excrementorum accessio, quam effugerit nemo.

I I I.

NON incassùm Natura sexum distinxit in marem & fœminam, quos interdum vix discernas. In maribus quandoque intrò conditus penis prolapsione temporis se dat in conspectum: Fœminas in mares conversas credit imperitum vulgus. In mulieribus, suppressis menstruis, aliquando tam fruticosus pilus genas obvelat, ut viros ementiantur. In maribus quibus ut fœminis mammæ protuberant, interdum unà cum sanguine superflua pars chyli ad eas fertur, & abit in lac alibile. Ad generationem utrumque sexum concurrere, ac semen emittere necesse. Sine virili semine, nequidem potest informem molam fœmina concipere; aliàs quid eâ frequentiùs. Muliebre semen virilis familiare alimentum. Mas & fœmina juniores, ut corpus, sic semen calidius, humidius, puriusque habent. Eorum sub amore merentium compositio, qua junctis osculis ludunt, properantque simul ad metam, maximè conducit ad prolem. Bestiæ, quia bestiæ, utero gerentes marem respuunt; mulier admittit; ejus uterus similis navi, quæ plena meliùs tollit vectorem; hinc ferè sola superfœtat. Dum illætabili

coitione gravidari se refert, non opus viro glandem suaveolenti perungere oleo, quò ipsam delectet impensiùs; ludificatur auscultantem. Vt ex masculino semine prædominante mas, ex fœminino fœmina, sic ex utroque æquabili vi concurrente hermaphroditus emergit, nusquam potens utriusque sexus adimplere vices, virilis seminis, aut menstrui defectu. Si utrumque semen partitè coëat ac concrescat, gemelli sobolescunt, vix ætate processuri, si dispari sexu. Natos parentibus aut aliis similes facit muliebris imaginatio. Si mulieri naturæ sacra facienti ante oculos obversetur imago speciosa, assimilem ipsi prolem enitetur: Si nupta cum adultero rem habens de marito cogitet, prolem edet quæ marito assidebit; sic quispiam ejus quem parentem agnoscit spirans effigies, adventitia sæpè propago.

IV.

VITA calore & humore stat. In utroque insignis mutatio ætas. Ea multiplex, infantia, pueritia, pubertas, adolescentia, juventus, & senectus triplex, cruda seu viridis, quieta, & decrepita, quam qui attigit, πέμπελος scilicerniusve audit. Vt calore & humore luculentè, sic ætate homo mutatur. Quò ortui propior, plus utriusque participat. Maternis umbraculis egressus, sequaci circumfluit humore, quo sensim augetur & adolescit; mox in dies arescit. Adulto, pleniori alimento fruens corpus semen profert, quo simile generet. Illud calidissimum, humidissimum, purissimumque est: juvenescenti calidum magis, minùs humidum, nec adeò purum: senescenti defervens, siccum, impurissimum. Eadem materia generationis, quæ nutritionis: Decedentis substantiæ instauratio, nutritio est: Partes spermaticæ semine, sanguine carnosæ, ut generantur, sic aluntur. Residuum alimenti partium spermaticarum semen; carnosarum sanguis: Residuum illud partibus à quibus defluit assimile: Quò partes spermaticæ & carnosæ calidiores, humidiores, puriores, eò calidius, humidius, purius semen, eò calidior, humidior, purior menstruus sanguis: Quibus partibus juvenes calidi, humidi, senescentes evadimus frigidi, sicci: Iisdem qui insidet calor, continuâ actione, magis ac magis fatiscens, ut minùs coquit ac digerit, sic patitur peregrinum humorem copiosiùs affluere.

V.

VIRI & fœminæ congressus à mutuo amore principium fit. Vt amentur, maximum philtrum est, sint amabiles. His

652.

se se amantibus, ad maleficium arcendum, non necesse viro pronubum annulum permingere. Frustrà de gente Fescenninorum quidam, tribus nodis, ternos nectet colores, dicetque, Veneris vincula necto; aut lupi virgam alterutrius nomine ligabit; aut acum quæ syndonem ad sepeliendum mortuum consuerit, geniali toro defiget. Concordi amore ligatis animis, facilis & fructuaria copula corporum est. Quò amor juvenes acriùs incessit, atque exagitat, eò semen emittunt copiosius quàm senescentes, in quibus otio non acuitur. Mari, cui juveni penis gnaviter exporgit se, arrectisque astat cristis, ac subsilienti manat semine, senescenti marcet, vix nuptiale subit antrum, parum abest quin ad pomœrium lentum deponat onus. Mulieri, cui in juventæ flore, uterus suavissimum rorem amoris haurit avidissimè, annosæ petulco licet pene concussus vix patescit, atque illum effœtè sorbillat. Hinc junioribus effervet semen, senescentibus defervet. Sanguis menstruus semper in utero cunctatione vitium capit; ectymatum author; ingravescente ætate tam nocens, ut ejus maligno miasmate, vetulæ quædam tenellulis infantibus marcorem inferant exitialem. In junioribus calidum, humidum, copiosum, purum semen, cum innocentiori sanguine, à quibus vita longior.

Ergo vitæ longioris ex junioribus parentibus orti.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ludovicus Morin.	*M. Raymundus Finot.*	*M. Bertinus Dieuxivoye.*
M. Petrus Lombard.	*M. Robertus Raoult.*	*M. Stephanus Bachot.*
M. Philippus Mathon.	*M. Matthæus Thuillier.*	*M. Ioan. Bapt. Moreau, Professor Regius.*

Proponebat Lutetiæ IOANNES BAPTISTA DE MONSTROEIL, Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LXVIII.

PARISIIS,

Ex Typographiâ F. MUGUET, Regis ac Illustr. Archiepiscopi Parisiensis Typographi, viâ Cytharæ, ad Insigne Adorationis trium Regum.